



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 220618e

Saturday 18.06.2022

Letter of the Holy Father to the Papal Legate for the 800th anniversary of the dedication of the Cathedral of Cozenza (Italy, 25 June 2022)

His Eminence Cardinal Secretary of State Pietro Parolin, appointed as Papal Legate on 30 April 2022, will be accompanied by a Mission composed of the following ecclesiastics:

1. The Reverend Luca Perri, episcopal vicar for the Liturgy and parish priest of the Cathedral;
2. The Reverend Enzo Gabrieli, episcopal vicar for Catechesis, Culture and Communication.

The following is the Holy Father's letter to His Eminence Cardinal Pietro Parolin:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

PETRO S.R.E. Cardinali PAROLIN

Secretario Status

Aeterni Patris voluntate ac praecepto suffulti, permanentes in fide fundati atque immobiles a spe misericordiae Dei, qui affectum in cunctis quae agimus in templum cordis nostri ingressi Deus potius attendit quam opus, gaudeamus felices considerantes celebrationes, quibus Cosentiae gratiae Deo aguntur propter octingentesimum anniversarium a dedicatione ecclesiae cathedralis Deo in honorem Sanctae Mariae in Caelum Assumptae dicatae, cuius diutina sollertia iam per saecula efflorens praelaudanda est, divinarum laudum pio resonans decore, domicilium virtutum, Evangelii lumine late advecto merito gloriosa, quae adhuc hodie indefessi pastorum laboris gratia mira eminet pulchritudine.

Libenter, ergo, humanissimam Venerabilis Fratris Francisci Nolè, O.F.M. Conv., Archiepiscopi Metropolitae Cosentini – Bisinianensis, accepimus petitionem, ut eminentem aliquem ecclesiasticum virum eligeremus, qui nomine Nostro his pro tanto iubilaio antiquae cathedralis dedicationis sollemnibus praeesset coram hac dilecta communitate, quae, verbum Dei audiens cum fide, ex uno baptismatis fonte renata atque divina mensa nutrita, in templum spirituale crescat et superno provehatur amore ad unum altare congregata. Ad te, ergo, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum conversi sumus, quem peraptum iudicamus ad gregem hunc hac data occasione corroborandum.

Idcirco, fraternam tibi Nostram confirmantes benevolentiam, harum Litterarum virtute, Te LEGATUM NOSTRUM renuntiamus ac constituimus, mandatis tibi factis, ut nomine Nostro Cosentiae proximo die XXV mensis Iunii ad Missarum sollemnia, quae supra diximus, praeesse valeas.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationi Eucharistiae praesidebis, clerum et populum, necnon publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut in hac orationis domo humano instructa labore, summo angulari lapide ipso Christo Iesu, caelestis Ierusalem fiant imago, Spiritu vivificata, caritate coagmentata. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universae Cosentinae communitatis ibi congregatae.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimus omnibus, qui celebrationibus intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo suppliciter exposcentes, ut communitas haec ecclesialis, Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis intercessionem, in templum cordis sui ingredi valeat, ut tantum Christi caritas urgeat eam, quia spiritalis purificationis accepta oblatio in cordis persolvitur templo, in quod Christus Dominus gratanter ingreditur.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Iunii, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

FRANCISCUS
